



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Qui ebrius fuerit vt ordo patitur poeniteat. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De eadem re.

Cap. X.

Observandum est vobis, vt & vos ab ebrietate abstineatis, & vt plebes subditæ abstineant, prædicetis. Et neque per tabernas eati bibendo, aut comedendo, neque domos, aut vicos curiositate qualibet peragretis, neq; cū feminis, aut cum quibuslibet personis impuris conuiuia exerceatis, nisi fortè paterfamilias quilibet vos ad domū suam inuitauerit, & cum cōiuge sua, & prole velit vobiscum spiritali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, vt si quādo quilibet fidelīū, carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritalibus.

Qui ebrius fuerit, vt ordo patitur, pœniteat.

Caput

X I.

Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum spacio à cōmunionē statui- mus submouendum, aut corporali dandum supplicio.

Quòd vino inebriari non liceat, sed fugiendum sit.

Caput

X I I.

Fuge vinum velut venenum, ne ebrietas superet te, expoliatumque virtutibus te nudū efficiat. Vinum enim, vt sancta scriptura dicit, apostare facit etiam sapientes. Attende Noe virum sapientem, & sanctum, quomodo per ebrietatem nudatus est, dormiens. Attende, & Loth patriarcham, qui per ebrietatem impudenter se commiscuit filiabus. Hinc beatus Basilius dicit: Multi per vinum à dæmonibus capti sunt: necesse aliud ebrietas, quàm manifestissimus dæmon. Hinc propheta ait: Fornicatio & ebrietas auferit cor. Ebrietas enim perrurbationē parit, gignit mentis furorem, & flammam suscitatur libidinis. Apostolo teste, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Si quis autē contra hæc fecerit sanctorum statuta, dignam ac longam agat pœnitentiā: quia vnū est ex his peccatis quæ hominem à regno Dei separāt, dicente apostolo Paulo: Neque ebriosis regnum Dei possidebunt.

De illis qui per ebrietatem vomitum faciunt.

Caput

X I I I.

FF